

salutem, vobis sollicita exhortatione suggerere, & studiosius suadere, vniuersitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, quatinus diuino cultui intendere, misericordiam & iustitiam & iudicium diligere, a rapinis & iniquis openibus abstinere, deuota Deo & accepta obsequia impendere, prædictæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, tanquam matri & magistræ vestræ, debitum, honorem & reuerentiam exhibere; Episcopis, sacerdotibus, & alijs prælatis vestris humiliter obedire, & eis decimas, primitias & oblationes, & alias iustitias suas reddere, & ipsos tanquam patres & pastores animarum vestrarum honorare modis omnibus studeatis, & iura eorum defendere, manu tenere propensius, & conseruare curetis, & armis cælestibus præmuniti, & Apostolicis exhortationibus confirmati ad defendendam Christianæ fidei veritatem spiritu fortitudinis accingamini, taliter in brachio forti ad propagandam Christiani nominis religionem intendentes, vt victoriam de inimicis possitis consequi, & coronam iustitiæ, quæ vobis reposita est, patrante Domino, adipisci. Nos enim eis, qui aduersus sæpe dictos paganos potenter & magnanimitè decertauerint, de peccatis suis, de quibus confessi fuerint & pœnitentiam acceperint, remissionem vnius anni, confisi de misericordia Dei, & meritis Apostolorum Petri & Pauli, concedimus, sicut his qui sepulchrum Domini cum visitant concedere consueuimus. Illis autem, qui in conflictu illo decesserint, omnium suorum, si pœnitentiam acceperint, remissionem indulgemus peccatorum. Datum Tusculani III. Idus Septembris.

56. 1165—1181, d. 11 Sept. Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s Bref till Årke-Bisköpen i Upsala och hans Lyd-Biskopar, med befallning att strängt bestraffa barnamord och tidelag, och stadgande af 3 års penitens för mödrar som kvävt döpt barn, och 5 för odöpt; att H. nattvard ej fick utdelas i obehöriga ämnen, eller med bröd doppadt i vin, men väl med vattenblandadt vin; att äktenskap ej fick ingås utan presterlig vigsel, ej heller mellan närmare släktingar än i 7:de led, dock behöfde de redan i 4:de och 5:te skyldskapsledet sammanvigde ej åtskiljas, men sådanas giftermål därefter ingalunda tillåtas.

K. h. 2: 621. n:o 22.

Alexander Papa III. Vpsellensi Archiepiscopo, & suffraganeis eius.

Vice beati Petri Apostolorum principis, largiente Deo & Domino nostro, qui ait, *Speculatorem dedi te domui Israel*, super gentes & regna, licet immeriti, in Apostolicæ sedis specula constituti, pontificalis officij debito pro vniuersis compellimur sollicitudinem gerere, & antiquo hosti, qui tanquam sæuissimus leo circuit quærens quem deuoret, pastorali prouidentia obuiare, ne gregem Dominicum inuadat, & diuersis eum vitiorum morsibus laceret. Inde est quod vehementi cor nostrum doloris pulsatur stimulo, audito quod

in partibus vestris in tantum libido crudelis & turpis excreuerit, vt quædam mulieres prolis suæ procurent interitum, earumque corruptores tam horrendo & detestabili facinori non solum consentire, verum etiam illud persuadere præsumant, & alij incæstuosa coniunctione plerique cum iumentis abominanda se pollutione commaculent. Quæ quantum sint graua & creatori nostro penitus inimica, ipsa sceleris atrocitas satis demonstrat, quam nec audientium aures sine ingenti possunt horrore percipere. Si enim qui iactato in terram semine prolem nolebat ex vxore suscipere, percussus a Domino testamenti veteris serie dinoscitur, qua pœna feriendus esse monstratur, qui natum proprium non abhorret occidere, & mauult interire quam viuere? Cuius vtique criminis pœna illud etiam persuadentes vel consentientes inuolui beatus Augustinus ostendit dicens, Se periculose decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas existere, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per quorum consilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur. Nam Iudæi Dominum nequaquam proprijs manibus interfecerunt, sicut scriptum est: *Nobis non licet interficere quemquam.* sed tamen illis mors Domini imputatur, quia ipsi eum lingua interfecerunt dicentes, *Crucifige, crucifige eum.* Incestum vero quantum sacri abhorreant Canones, Concilium Ilerdense demonstrat: Cum his, inquit, qui incestus se pollutione commaculant, quandiu in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, nec cibum sumere vlli Christianorum, sicut Apostolus iussit, licebit. Porro scelus cum iumentis coeuntium quanta sit animaduersione plectendum, legislator Moyses declarat, cum etiam ipsa interfici animalia iubeat, quæ tali contaminata flagitio indignam refricant facti memoriam. Quia igitur abominabilem horum excessuum præsumptionem seuera satis distinctione congruit insequi, prædictos propriæ prolis necatores, & tam ipsum facinus persuadentes, quam consentientes, seu quoslibet parricidas, aut cum matre, filia, consobrina, vel nepte agentes, quam cum iumentis coeuntes, artiori pœnitentiæ iugo curetis compescere, & nisi senio confecti, vel corporis fuerint debilitate seu egestate oppressi, eos ad sedem Apostolicam compellatis venire, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina visitare, vt in sudore vultus sui & viarum labore superni iudicis iram euadere, & ipsius misericordiam valeant inuenire. Ad hæc qui dormiendo non voluntate, sed casu filios suos oppressisse inueniuntur, triennio, si ijdem filij fuerint baptizati, si vero absque sacro baptismate decesserint, quinquennio pœnitentiæ disciplinis subiaceant. Sacerdotes, quos ab his conuenit studiosius præcauere, officij sui perpetua executione priuentur. Verum si qui parentum absentes fuerint, quando eorum filij suffocantur, aut si id sub aliena custodia contigerit, extra culpam erunt, si tamen eos non furiosæ, sed congruenti custodiæ ipsos se crediderint tradidisse. Præterea non sine cordis amaritudine quosdam

sacerdotes contra Apostolicas institutiones, cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis Missam celebrare audiuimus: & fideles laicos non Christiano more, absque sacerdotali benedictione & Missa matrimonium contrahere. Vnde sæpe illicita contingit fieri coniugia, & inter legitimas personas diuortium interuenire. Sane cum omne erimen atque omne peccatum oblatis Deo sacrificijs deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur? Cum enim magister veritatis discipulis suis sacramentum commendaret nostræ salutis, non siccam fæcem vini, non micas panis vino intinctas accepit, sed panem & calicem, & benedicens dedit discipulis suis. Quia igitur secus agere Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ penitus est aduersum, Apostolica prohibemus auctoritate, vt cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis, vel alio modo quam Dominus instituit, nullus de cætero sacrificare attemptet: sed secundum formam sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem & vinum aqua mixtum in sacrificio corporis & sanguinis Domini offeratis. Cæterum clandestina & absque sacerdotali benedictione non debere contrahi coniugia, aut nisi inter legitimas personas, quæ infra septimum gradum nulla consanguinitatis linea coniungantur, nec contracta, nisi canonice & consensu Episcopi dissolui, multorum sanctorum patrum declarat auctoritas. Vos itaque muniti sanctorum patrum sanctionibus & Ecclesiasticis institutis, hæc quæ dicta sunt diligenter seruare, & ab alijs præcipite inuiolabiliter obseruari, dispensationis moderamine vtentes, vt qui in quinto, vel quarto gradu coniuncti sunt, eos non separetis, sed ne amplius taliter coniungantur, pontificali auctoritate & districtione prohibeatis. Datum Tusculani V. Idus Septembris.

57.

1165—1181, d. 8 Sept.

Tusculanum.

Påfv. ALEXANDER III:s stadfästelse på valet af Kol till Biskop i Linköping efter Bisk. STENAR, som inför Påfl. Legaten, Ärke-Bisk. ESKIL i Lund, nedlagt sitt Embete och ingått i kloster.
K. h. 2: 622. n:o 23

Alexander Papa III. Colon Lingacopensi Episcopo.

Ex dispensatione commissæ nobis sollicitudinis, & ex debito caritatis viros Pontificali officio præditos, & morum honestate ornatos sincera tenemur caritate diligere, & eorum vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere: vt tanto fortius ornamenta virtutum appetere, & honestis insistere moribus studeant, quanto se ab Apostolica sede maiore honore cognouerint & gratia præueniri. Relatum siquidem est auribus nostris, quod dilecto filio nostro Stenar. quondam Lingacopensi Epi-